For Doctor N. Edwards from y Auth

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE ANOREXIA.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NEC NON
Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,
Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ Decreto,
PRO GRADU DOCTORIS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

GULIELMUS M'ILVAINE,
PENSYLVANIENSIS.

Ad diem 12 Junii, hora locoque ſolitis.

——————— *Sylva, cavuſque*
Tutus ab inſidiis tenui ſolabitur ervo. HORAT.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,
Academiae Typographos.
M, DCC, LXXI.

Ex Libris Robti Brown
Edinr 1790

WELLCOME INSTITUTE LIBRARY

Avunculo ſuo, Armigero,

GULIELMO HUMPHREYS,

Cum ob beneficia,

Dum vita patri ſuo adfuit, collata,

Et ob amorem etiamnunc ſincere paternum,

Quibus ſe ſemper lubentiſſimus accepit;

Tum propter animum generoſum,

Omnibus ut benevolentiam exſerat uſque præcinctum,

Ex meritis penitus admirando atque colendo:

Nec non

Fratri ſuo Chariſſimo,

JOSEPHO M'ILVAINE,

ARMIGERO,

Cui animus omnibus obſequius, nemini adverſus, adſtat;

Propter amicitiam inter eos

Cum aetate arctiter florentem atque augentem,

Ex imo pectore dilecto,

Has paginas grato animo

D. D. C. Q.

GULIELMUS M'ILVAINE.

DISSERTATIO MEDICA

DE

ANOREXIA.

SALUTI oeconomiae humanae, quam ut viribus ventriculi integris atque vegetis fruatur, nil magis momenti ſit. Hocce enim, alimenta in varios corporis humani uſus rite ſubacta, quam optime accommodantur: Eodem deficiente, vel ſuo officio male fungente, tota compages corporum animalium primum morbida evadit, et brevi poſt tempore morti ſuccumbit.

Ex beneficio autem noſtri Creatoris ſapientiſſimi praeſidium nobis adeſt duplex, dolor, ſcilicet, et voluptas, quorum vi, ad mala avertenda bonaque cupienda, fideliter ſemperque incitamur. Hinc vi inſita edocti, cibo potuque, ut vita commodius conſervetur, debitis intervallis utimur.

DE-

DEFINITIO.

Appetitui omnibus quodammodo ingrato tamen indulgere, plurimum adfert oblectamenti, dum ne ultra modum quidem tenditur. Ex eodem enim fonte, ad quantitatem juſtam qua vires reficiantur, dirigimur, niſi deliciae jurearum plus ſatis devorare nobis perſuaſerint.

CAUSA PROXIMA.

Causae utcunque ſenſationis inter medicos multifariae omnino adnumeratae ſunt.

Ita celeber. Hoffmannus eam acido a paſtu priori relicto attribuit, quae forſitan ſententia valde probabilis videatur, quum ex acidis aſſumptis excitari appetitus vel etiam augeri poſſit. Sed, quantumvis haec inter alias appetitus cauſas merito enumeranda ſit, tamen ſola haud admitti debet, cum in ſumma ingeſtorum varietate magis minuſve ad acidum gignendum pollentium, haudquaquam vicibus appetitus noſtri ſic ordinatis correſpondet. E contrario, vires ventriculi multo

fortiores

fortiores eſſe, ubi nil vel paululum acidi adparet, ſatis compertum habemus. Purgantia quippe et emetica, quae acidum hocce penitus educunt, famem ſaepenumero excitare obſervantur. Ex quibus doctrinam illam omnimode falſam haud dubio concludere liceat.

Iterum ventriculi vacuitas pro cauſa famis apud plurimos agnoſcitur; ſed de modo operandi haudquaquam inter medicos adhuc convenit. Hallerus et Boerhaavius (in quorum doctrinam medicorum plerique manibus pedibusque avide ſe dederunt) omiſſis omnibus aliis praeter ſtimulos directos, cauſam appetitus hujuſce in attritu ſenſilium plicarum ventriculi contra ſe invicem poſuerunt.

Porro, figura ſeu fabrica ventriculi huic opinioni repugnat; quippe hocce viſcus rotundum ſive conicum, inter contrahendum, figuram ſuam non permutat, tantum vero diminuit. Inde nullus plicarum attritus, niſi ad motus convulſivos incitetur, obtinere queat. Piſa nempe, aliaque molliora ingeſta, quae per alvum ex integro ſaepius rejiciuntur, ad hoc argumentum comprobandum maxime conducunt. Quare ventriculus, materie quadam mucoſa obductus, ne attritus obtineat fortiter

ter adverſatur; et in febribus, quando hicce ſtatus aeque ac in ſanitate exerceri oportuit, cibi nullum tamen deſiderium percipiatur. Inter alias medicorum opiniones, ſaliva pro appetitus utique cauſa uſurpari ſolebat. Ea autem quae ſtimulis in genere objicerentur, huic etiam ut repugnant, merito ſeſe offerunt.

Nunc opinionibus, quae inter medicos ad hocce phaenomenon exponendum ut plurimum aguntur, ſatis liquido refutatis, noſtram, et, uti ſpero, multo magis veriſimiliorem, in lucem proferre aggrediemur.

Illuſt. Cullenus noſter, ſenſationes in ſyſtemate humano ſaepenumero ab impreſſorum diminutione, vel abſentia ſola, oriri, ſuis praelectionibus theoreticis admodum dilucide demonſtravit. Hinc iſte ſenſationis gradus a conditione ventriculi fibrarum, quae inanitionem pro ſuo origine agnoſcit, referri queat acceptus, atque inde ſenſus appetitus fieri ſolet. Ex his autem conſideratis, haud ſatis liquido exponuntur phaenomena jamjam memorata: Ventriculum enim inter et ſyſtematis reliquum conſenſus inſignis obſervatur. Ita, ſi neſcio quis hora nona pomeridiana jam ad coenam

ca-

capiendam alacris, nuncio quiddam mali portenti perturbatus fuerit, ventriculo in eodem ſtatu ſervato, appetitus ſtatim fugatur. Sed porro inanitio ſyſtematis intima ad famem excitandam neceſſaria eſſe adparet. Ventriculo, enim quicum ſyſtemate toto, uti ſupra dictum, connectitur, ut alimenta rite ingerentur, id genus depletione opus eſt. Inde fit, ut perſpiratione ullo modo obſtructa, appetitus ſenſus tollatur, propterea quod ſyſtema tunc temporis ne depleatur eſt impedimentum. Motum autem muſcularem et exercitia cujuſvis generis, quae excretiones vaſorum extremorum promovere valent, ad cibi deſiderium concitandum quam plurimum conducere, evidenter conſtat. In plagis borealibus, et praecipue hiberno tempore, ciborum appetitus et digeſtio felicius ſuccedunt. Iſtud vero phaenomenon paulo difficilius explicatu evadit; niſi quod frigus ſuperficiei corporis applicatum, vaſorum partes extremas ſtimulando, vires ſuas exſerit. Quaecunque perſpirationem vaſculorum ultimorum actionemque adaugent, (e. g. curſus ſupra glaciem, a Boerhaavio memoratus), eadem quoque appetitum excitant, et virium coctricium actionem promovent.

Ex ſupra dictis igitur appetitum ex ventriculi cum caetero ſyſtemate conſenſu naſci luculenter apparet, praeſertim vero ab actione vaſorum extremorum in corporis ſuperficie deducatur. Corpore vigore ſuo uſque exultanti, ventriculus, ut diſtentio aequaliter conſentanea adhibeatur, minime omnino praevalet. In hoc enim exemplo fibrae muſculares contractilitatem exercere pergunt, etiamſi ventriculus cum ſolido tum liquido deſtitutus remanet. Hae, quod fames appellatur, conſtituunt. Anorexia vero, quae priori contraria ſit, a debilitate ſeu ventriculi atonia petenda videtur, et reliqui ſyſtematis, vaſorum praecipue extremorum, conditionem ſequitur. Talem connexum revera adeſſe, plurima phaenomena evincunt.

Symptomata hunc morbum plerumque concomitantia pro cauſa ſua a fibrae muſcularis debilitate ſeu ventriculi atonia haud abhorrent. Hinc nauſea, vomitus, inflatio, ructus, ruminatio, cardialgia, gaſtrodynia, alvus aſtricta. Ad quae magis illuſtranda pauca ſtatim proferam.

Nausea vomituſque, ut opinor, ab eodem fonte originem ducentes, et gradu tantum

tantum differunt; quapropter, illis praetermiſſis, de hoc ſolummodo verba addam. Attamen obſervandum eſt, quod auctores, phaenomenorum explicationem quae humano in corpore occurrunt, quaerentes, ad ſtimulum quoddam mechanicum, ſeu quodlibet aliud id genus, directe confugiunt. In hoc autem perſcrutando, ſenſationes, quibus mens ab impreſſorum abſentia fit conſcia, neglectas omnino fecerunt, ad quas quaſi comites ſe conjungant cum actio tum reactio. Exinde ad vomitum febrilem explicandum omne genus ſtimulantium, tanquam ejus cauſam, in medium attulerunt. Tantum vero ad vomitum ſpectemus qui ſyncopen ex debilitate ſubortam comitatur, quo in exemplo ut vomitus affectioni iſti debeatur, quae tonum ventriculi praeſertim enervat, ultra dubii veſtigium ponatur. Unde ſenſatio, qua natura ſeſe per vomitum liberare nititur, ingrata perſentitur. Nunc autem vomitus a cauſa quae haud tantum in ventriculo obtinet, ſed in ſyſtemate toto, producitur. Sapores guſtui haud omnino pergrati, ſi tantum linguae applicarentur, ad vomitionem gignendam valent. Quis enim dicat vomitum

huncce

huncce per ſtimulum ventriculo applicatum productum? Aqua tepida, oleum blandum, &c. ſimili quaſi modo vires ſuas activas exprimunt, quae minime ad ſtimulum actualem, ſed potius ad debilitatem per tales ſubſtantias inductam, referantur.

Opium ita eodem gaudet effectu, ut ſolida forma datum ad quendam venenandum perdifficile evadit, quippe quod prius ejiceretur per vomitum. Ventriculus quandoque adeo debilitate exercetur, ut nil cibi ſine vomitu deglutiatur, etiamſi ne ulla topica quidem affectione provocetur; prorſus itaque innoteſcet id ſuae naturae peculiari attribuendum eſſe, unde vulgo dicitur, ventriculum adeo debilem eſſe factum, ut nil continere poſſit. Praeterea, in illis omnibus quibus mens facile moveatur, idea ad nauſeam et vomitum excitandos ipſa ſola ſufficit. Haec omnia demonſtrant, non eſſe neceſſarium ad vomitum explicandum ſtimulum actualem, ſed eum ipſum frequentiſſime ex debilitate provenire.

Quod ad inflatum attinet. Inter medicos aerem ab ingeſtis ſeparari plerumque convenit, tametſi morbus non inducatur niſi nimia copia peccaret. Quod ad hoc ſpectat, diverſis

ſis alimentorum generibus alii atque alii oriuntur effectus, et ventriculum vitio debili plerumque peccare pro certo habetur, dum aer in nimia quantitate prorumpit. Ventriculus aeque ac inteſtina facultatem aerem elaſticum abſorbendi incarcerandique (qui noſtris alimentis ineſt), quandam inquilinam poſſidere videtur, ita ut ſub pondere atmoſphaerae viribus quaſi talibus minime perguadet. Hoc actioni et reactioni reciproce alternanti quae, ut aer conteratur et reliquis contentis in ventriculo admiſceatur, pro cauſa eſt, certe debetur; quibus deficientibus, aer in maſſam modum excedentem colligatur, quae flatui, &c. occaſionem praebent. Tametſi flatus quandoque ſucci gaſtrici defectui adſcribendus, quae iterum a debilitate ſuboritur; quamobrem fibrae muſculares fluidum in folliculis excretoriis contentum exprimere nequeant, per quod aer in ventriculo ſeparatus inviſcari oportuerit.

Hinc aer in ventriculo enormiter collectus, ad ſuperiora progreditur, ubi exitus, quippe qui effugium conſtanter tentat, adverſatur; ſenſus hinc doloris illo in loco oritur, motus

quidam

quidam periſtalticus excitatur, et ſequitur expulſio aeris, ſive ructus.

Hoc phaenomenon ita exponatur: Nempe, cibi ſolidi in genere liquidis ſpecifice ſunt leviores, aut ſaltem hanc qualitatem, ob macerationem ſeu aeris abſorptionem, participant. Exinde ad partem ventriculi ſuperiorem ſponte emergunt, qui eos deorſum pellere conamina exercet. Ideo ruminatio ex debilitate naſci videtur.

Alterum anorexiae ſymptoma eſt cardialgia, i. e. ſenſus caloris vel acrimoniae ventriculi orificium ſuperius et oeſophagum ei vicinum perturbantes. In hoc agendo, haud de variis acrimoniae generibus quae ventriculum infeſtare poſſunt differere nobis ſit in animo; et quoniam acidum longe frequentiſſimum eſt, et plus ad rem noſtram illuſtrandam facit, de eo verba tantum faciam. In ſano corpore acidum ad tempus digeſtionis ſemper generatur, quo neceſſe ſit, ut devincatur, vel ſaltem abſorbeatur. Sed hic, ut arbitror, ſucco gaſtrico efficitur, quo, propter debilitatem, ut ſupra diximus, nimis juſto abundante, acidum e neceſſario praevalebit. Adde, quod dum actio animalis torpet, acidum

dum ex ſpontanea ingeſtorum fermentatione generatur: Quinetiam bilis ad acidum cicurandum quam plurimum pollet, quae organi iſtius languore ne juſte adhibeatur penitus antevertitur. Quod idem inteſtinis damna affert, quia ne cum bile in iis exuberante celeriter admiſci poſſit. Inde apparet debilitatem hoc etiam in modo acrimoniam acidam gignere. Hinc experientia docemur, acrimoniam magis obſtinate debellare, ubi pylorus ſcirrho, aut alia cauſa induratus, ventriculi emiſſiones neceſſarias intercipit: Saepe in hoc rerum ſtatu adeo multum ſaeviebatur acrimoniae vis, ut lintea ab acido ejecto corroſa fuerint. Diaeta quidem ad acidum formandum non nihil poteſt, in cujus ſuppetias quam plurimum debilitas convocatur.

Gastrodynia ab inflatu certiſſime diſcrepat, in eo, quod in priori dolor uni tantum loco infixus haeret, dum in altero, per totum epigaſtrium ſeſe diffundit. Differt etiam a cardialgia et gaſtritide. Dolores a variis fontibus deducuntur, ſcilicet, acrimonia, diſtenſione, oſcillationibus in progreſſu ſuo penitus impeditis, ſpaſmo. Spaſmum ergo eſſe frequentiſſimam gaſtrodyniae cauſam

ſam credamus, (etſi quandoque forſitan ab acrimonia oriatur), qui ex atonia colligitur; nam, ſecundum illud Hoffmanni "atonia "gignet ſpaſmum." Ex quibus omnibus videmus, hoc ſymptoma aeque ac reliqua concurrere ad probandum fibrarum ventriculi tonum in anorexia eſſe diminutum.

Restat unum adhuc ſymptoma de quo jamjam dicendum, quod eſt *alvus aſtricta.* Excretiones alvinae diverſis temporibus multum inter ſe diſcrepant. In Lienteria quicquid aſſumptum eſt, plerumque inconcoctum protinus ejicitur. Quidam ſunt, e contrario, qui vix ſemel in menſe huic excretioni obnoxii ſunt; frequenter vero accidit, ut multi ſemel tantum in hebdomada alvum exonerent. Sed naturaliter haec evacuatio, habita pro diverſis alimentis ratione, ſemel in ſpatio XXIV horarum obtinet. Hi ſtatus alii atque alii ſint, ſecundum ut colon plus minuſve ſiccum aut humidum eſt. Quare minus frequentior factus, ab coli actione remiſſiore pendet, quae foeces ut ſtagnarent aut ſiccarent permittit. Apparet igitur, alvum aſtrictam coli periſtaltico motui remiſſo eſſe aſcribendam: Hinc ejuſdem obſtructiones inteſtinorum

teſtinorum tenuiorum motum adaugendo, per cathartica ſaepiſſime removeri obſervantur; qua de re, ventriculi actiones, multum minutae, inteſtinorum vires quoque frangent. Ex argumentis prolatis inducamur, ut alvum aſtrictam quaſi atoniae ſeu actionis canalis alimentalis, praeſertim ventriculi, refractae ſymptoma eſſe concluderemus, quae cauſam proximam quam antea attulimus utique confirmat.

CAUSÆ REMOTÆ.

ISTIS utcunque peractis, nunc ad cauſas anorexiae remotas deveniendum eſt; quae utpote omnino diverſiſſimae ſunt. Hae autem in duas partes ſponte ſeſe diviſas reſolvunt. Primo, quaecunque ventriculi tonum immediate contundunt; ſecundo, quaecunque per ſenſorii communis interventum actionem exhibent.

I. AD primum caput varia *ſedantia*, ut alimenta introducta, &c. referenda ſunt.

1. THEA. De hac planta multum inter auctores eo uſque diſceptandum fuit. Attamen

men nondum ſatis conſtat, an uſus ejus ſyſtemati malo ſeu potius commodo ſit. In genere, tametſi voluerunt, quod noxae, ejus uſum comitantes, magis ab aqua tepida quam ulla alia qualitate penderent, quippe quod ſapor plantae gratiſſimus judicio noſtro plerumque ſuperpondio ſit.

Verum enimvero effectus, qui ejuſdem uſum conſequi ſolent, aquae immerito adſcribuntur; unde ad vim quandam narcoticam, quae clarius in ea ſeſe manifeſtam reddunt, concurrendum.

2. Amara. Iſta nimium protracta noxis innumeris famoſa redduntur. An autem ventriculi tonum effectus horum nimis promovendo, quem debilitas ſemper ſequitur; an ex qualitate vere narcotica, quae multa animalia morte inopinata opprimit, naſcuntur, in obſcuro adhuc latet.

3. *Narcotica.* Qualia ſunt opiata, quorum uſus inter Turcas anorexia frequentiſſime gignenda exhibetur. Simili quaſi modo, ſpiritus fermentati, ut arbitror, effectus ſuos mirabiles edunt; nonnunquam fortaſſe, ex nimia liquidorum copia deglutita et ventriculum diſtendente, vis tamen ſpirituum narcotica praecipue vitu-

vituperanda eſt. Nicotiana ipſa huc quoque, quando appetitus quieſcit, referatur. Salivae forſitan ejectio, quae tunc temporis modum excedit, ex jure addetur, ſed imprimis qualitati nicotianae narcoticae adſcribendus; ex parva enim quantitate nicotianae ad pulverem redacta, quae ex naſo in ventriculum facile conlabitur, appetitu penitus ſublato, vomitus ſaepenumero excitatur. His etiam adde putrida in ventriculo ſtagnantia; quae, ut experientia evincit, vi adeo narcotica implentur, ut in horae momento interimant.

II. Proximo in ordine ſeſe offerunt ſtimulantia quae ad atoniam producendam plurimum poſſunt. Horum namque uſu, ventriculi actio, nimis fortiter adaucta, haud raro atoniam illico experitur. Unde aromaticorum abuſus innoteſcet. Ad eandem limam ſpectat vomitus frequentiſſimus. Omnes etenim, quotquot vomitiones per emetica ſingulis noctibus provocare ſolent, adeo proſtrantur, ut tandem hoc viſcus morbis quamplurimis contorqueatur.

III. Tertium caput, priori e contrario oppoſitum, ad relaxantia in ventriculum recepta graditur, quod aquam tepidam nimia copia

pia inhauſtam complectitur. Hujuſce fluidi operatio in ventriculum ne quidem eodem in modo, cum quo corpora externa aridaque afficit, explicari poteſt. Calor quoque haud ſufficit. Aquae enim tepiditas hauſtae perraro calorem ſyſtematis nativum exſuperat. Ad vaſorum ſuperficialium actionem promovendam frigoris ſtimulus neceſſarius requiritur; et forſitan aliquid ſimile etiam ventriculus ipſe poſtulat, ut fibrae muſculares vigorem ſuum uſitatum exerceant. Potionis frigidae hinc vis ſtimulans patebit; quo ſublato, organum peragere deſinit.

IV. Nimia diſtenſio. Omnem fibram muſcularem nimis diſtentam ſequitur atonia. Sic alimenta nimia copia aſſumpta, et aer ab illis ſeparatus, duo orificia, ut nimis arctiter aliud alio approximatur, magis idonea reddunt. Pylorus conſtringitur, et ventriculus plus aequo diſtentus evadit, quae tonum amiſſum omnino faciunt.

V. Atonia quandoque pro cauſa ſua ſtimulum ſolitum et neceſſarium illi negatum agnoſcit. Praeter frigoris potentiam antea enunciatam, aliae quam multae occurrunt, ad quas condimenta quibus cum cibo utimur

merito

merito pertinent. Alii autem ſtimuli adduntur, qui ventriculo proprius conferuntur; quibus omnino ſublatis, atonia haud mora occurrit. Hoc enim in numero ſaliva comprehenditur, quia, glandulis ſuis ullo modo obſtructis, appetitus ſtatim evaneſcet. Succo gaſtrico probabiliter opus eſt: Succus quoque pancreaticus, et forſitan bilis, aeque muniis ſuis funguntur; namque ex hoc fonte in ictero appetitus amiſſus ſolo explicari poſſit.

Nunc, cauſis quae prima parte diſtinguuntur enumeratis, de illis quae anorexiam per ſenſorii communis interventum inducunt, dicendum.

I. In ſyncope cerebri, conditiones cum ventriculo convenire aperte videmus, quas nauſea ſaepiſſime et vomitus comitantur. Ad hoc genus rite confugiunt omnia quaecunque ventriculum anorexia exercent, cerebri vel ſenſorii communis energiam imminuunt, uti pathemata animi dejicientia.

II. Corporis et animi inertia. Anorexia inter eos frequentiſſime invenitur qui vitam in ſecuro plerumque agunt. In melancholicis et hypochondriacis, tam ubi ſenſorii energia

gia minuta ſit, quam in omnibus qui dolore aliiſque pathematibus deprimentibus laborant, anorexia eſt ſymptomatica.

III. Quæcunque ceterarum corporis partium tonum debilitant, eoſdem in ventriculo effectus edunt. Sic frigus et humiditates, quae vaſcula extrema enervant, pro cauſa anorexiae adſunt. Eadem ab impotentia genitalibus et utero praeſertim (qui cum reliquo ſyſtemate praecipue connectitur) inducta accidere obſervantur. Venus namque immodica hunc morbum frequenter inducat; quod experientia, quomodocunque exponendum, verum eſſe demonſtrat. Anorexia quoque menſibus ſuppreſſis, quae in chloroſi ex tono debilitato naſcuntur, ſupervenit. Viſcerum abdominalium vires etiam activae, nihilominus impeditae, hoc in modo manifeſte evincuntur, quibus ſcirrho induratis cachexia, inde oritura in ventriculo, per anorexiam aliaſque affectiones clarius cognoſcatur. Articulos inter et ventriculum quoque intervenire id genus connexus, ex podagrae phaenomenis probatur; quippe quod affectio ab uno ad alterum greſſu alternanti transfertur. Nec non renum vaſcula extrema eundem connex-

um confirmant, propterea quod paroxyſmis nephriticis ventriculi perturbationes praecurrunt.

CURATIO.

Hactenus anorexiae cauſis expoſitis, ad curationem tandem tranſeundum. De varia anorexia ſympathica, haud meum eſt quicquid nunciare, quia ad eum perfecte agendum, ut morbus, a quo dependet, neceſſe eſt vincatur: Breviter tamen remedia quae contra ipſam anorexiam idiopathicam contendere videntur enumerare conabimur.

Quoniam, ut ſupra dixi, morbus in ventriculi fibrarum atonia ſitus eſt, indicatio noſtra generalis eſt:

Tonum ventriculi reſtituere.

Quod acquiremus,

1. Anorexiae cauſas remotas vitando.

2. Symptomata quae morbum fovent removendo.

3. Ipsas fibras ventriculi roborando et confirmando.

I. In

I. In anorexia ſaepiſſime nil amplius requiritur, quam ut cauſae remotae penitus fugentur; nam fibrae ventriculi muſculares ſponte ſeſe ad debitum tonum reſtituunt, dummodo omnia quotquot morbum conſtituent arceri queunt, quibus praeſentibus remedia fruſtra adhibentur.

II. Quaedam ſymptomata quae morbum certiſſime aggravant in primo auferenda. Qualia indigeſtio, aciditas, alvus aſtricta.

Indigestio.——Alimenta diutius in ventriculo retenta, in anorexiam et nauſeam formandam ut plurimum pollent. An per ventriculi atoniam an cibi naturam quae domari recuſat, contenta in fermentationem ſpontaneam praecipitanter abibunt, quae, aciditati generandae favens, morbi progreſſum adaugeat? Praeterea obſtant hae moles quo minus remedia ventriculum attingant. Quod ergo ſymptoma caute vitandum eſt. Ad quod implendum vomitiones optime adhibentur. Ipſa natura, quae ſapientiſſime nauſeam excitat, ut adminiſtrentur aptiſſime pronunciat. Attamen, ne moles ſolum quidem accumulatas expellere nobis ſit in animo; quia vomitus ſuperficiem verſus derivant, ibique

bique actionem vaſorum extremorum adauctam reddunt, ex connectione inter fibras et haecce ventriculi intercedente. Vomitus vero variis modis excitetur: Primo, potu tepido, praeſertim ſi nonnullis amaris nauſeabundis impregnetur, ut floribus chamomaeli, vel etiam ſtimulantibus, v. g. ſinapi. Secundo, emeticis proprie ſic dictus, ipecacuana, &c.

Ut ventriculus tantum evacuetur, prima ſatis promittunt. Ad vaſcula autem extrema concitanda, quod ut atonia removeatur efficit, majore opus eſt ſtimulo. Ex documentis nihilominus comperimus, illorum uſum ſaepe eſſe repetendum quoad boni quicquid, ut ex tartaro emetico ſemel tantum adhibito, obtineatur. Vomitiones autem frequenter exhibitae adeo non ſymptomata mitigant, ut, iiſdem aggravatis, ventriculi vires tandem omnino confrangantur.

Aciditas.—Etiamſi haec morbi tantum ſequela ſit, attamen producta ut longius duraret quam maxime ſpectat. Acida viribus quibuſdam ſedantibus perguadent, quas potius experimenta quam ratiocinia ſtabilitas faciunt.

Quomodo acida, quippe quae fauces aſtrin-

 gunt,

gunt, ventriculum relaxare poſſent, nos omnino latet. Praeterea, mineralia, quae caeterorum potentiis praelucere deberent, adeo non hoc organum debilitant, ut effectus contrarios manifeſtent.

Quapropter magis fermentationi acidulosae quam acido ipſi veriſimilius eſt aſcribendum, quae noxis ei infeſtiſſimis ſtipatur. Acida enim diſtillata, quae in fermentationem ulteriorem progredi nequeunt, iiſdem effectibus deſtituta ſunt. Porro, aceſcentia malorum ſtrages ubique pejores prae caeteris ferunt; quod forſitan phaenomenon aeri mephitico in fermentatione evoluto debetur. Ambo nihilominus vinculo inter ſe arctiter conjunguntur; unde haud inutile erit, ſi aciditates nobis conſiderandae ſubjicerentur. Si copiam acidi exuberantis ſuperare cupiamus, aceſcentibus relictis, animalibus maxima ex parte veſcendum eſt. Cave tamen ne haecce diaeta ultra modos extendatur, ex quorum uſu immodico ſcorbuti marini vix arte, vix medicamentis ſuperandi, perſaepe inducuntur. Oleris atque fructibus caute evitatis, caetera vegetabilia parvo cum periculo ſatis libere comedi poſſunt. Farinacea minus ad aciditatem diſponunt.

In-

Intemperantia.—Venus plus juſto indulſa, et denique omnia quaecunque ventriculum debilitant ſeu ſyſtema fatigant, longius amovenda ſunt, quippe ab aciditate generanda haud abhorrent.

Denuo omnia fermentata et praeſertim fermentantia, ſeu vinum ſeu cereviſia, quaſi ſerpentes vitanda ſunt. Vinum quod per annos circulo volventes duravit caeteris anteferendum eſt. Prudentius erit a cereviſia, quae perraro ad fermentationem perfectam contendit, omnimodo abſtinere. Cereviſiam Londinenſem, (Porter) ſic dictam, quidam ob hujus liquoris amaritudinem non tantum ad fermentationem corrigendam valere, ſed et debili ventriculo pergratam eſſe, affirmant. Ea autem optima habetur quae ad acidam fermentationem ulterius jam verget; qua tamen merum acetum multo periculoſius eſt, cujus veritas ex omnibus hoc malo colluctantibus clarius innoteſcet. Aqua puriſſima, quae haud ſola ſufficiat, ut paululo cum ſpiritus quam parce admiſceatur poſtulat.

Quandoquidem multum attulimus de acidis praecavendis, ad remedia quae illa corrigere queunt proxime adeundum. Ad haec

haec implenda multa ſeſe offerunt, ut abſorbentia, alkalina, aqua calcis, et ſapo; quae omnia contra aciditatem valent. Sapo et abſorbentia, quae hunc ſtatum ſine acrimoniae productione obruunt, caeteris praelucent. Sapones quidem alvum quandoque ad dejiciendam ſollicitant, quod ex eorum cum acido in ventriculo unione ſal purgativus formatur.

Magnesia inter abſorbentia palmam praeripit, quae plerumque alvi dejectiones eliciat. Quod ad alkalina pertinet, cauſtica plus boni nobis promittunt quam mitiora, quippe qui nimis avide acidis ſeſe adjungunt: Unde uſus aquae calcis. Si, ſecundum Hombergii experimentum, alkali cauſticum et mite ſimul admiſceas, acidumque infundas, ſolutio diutius ſine efferveſcentia progredietur, donec alkali cauſticum fere ad diſſolutionem producatur. Acidum omnem cum alkali mitiori connectionem reſpuit. Denuo alkali cauſticum aliam ob cauſam merito antifertur, aerem ſcilicet mephiticum, qui, ut ſupra diximus, in ventriculo abundat, abſorbendo.

Alvus aſtricta—Motus incrementum, uno in loco inceptum, per totum canalem inteſtinalem propagari citiſſime facile patet; et vice verſa, ventriculi actio per atoniam deſtructa

toto

toto canali impedimento eſt. In genere, carthartica male exhibentur, quod actioni fortiſſimae quam excitant, languor, atonia, et inanitio, flatibus moleſtiſſimis occaſionem praebentes, ſuperveniunt. Quare oportet ut venter laxus ſervetur, purgatione actuali eodem tempore evitata. Ad quas producendas ex diaeta plurimum ſperetur, etiamſi ne inter certas quidem leges limitari poſſit. In diverſis enim hominibus alia atque alia oportet. In quibuſdam olera alvum ducunt, dum in aliis eam aſtringunt. Quiſque ad normam quae experientia ſua edocetur ſe limitet; quod ſi aegrotus talia remedia facile compati poſſit, eadem adminiſtrare forſitan haud abſurdum eſſet. Quod ex remediis mitiſſimis, qualia ſunt laxantia vel carthartica minus vehementia, et parva doſi tantum exhibita, optime obtineatur. Fructus aceſcentes, manna, &c. huc etiam pertinent; id tamen incommodi tenent quod aciditatem generent.

Salium quoque neutrorum exhibitionem incommoda plerumque ſequuntur, quae non niſi magnis in doſibus operari noſcuntur, ulterius tam effectus eorum ſedativi qui inteſtina debilitant, quam operationes ſi paulo vehe-

hementius ſaeviant, alvum ſtrictiorem relinquentes, ut denegentur nobis perſuaſiſſent. De omnibus denique catharticis acidis idem dicendum; quoniam ne adhiberi quidem queant, adeo ut efficaciores evaderent, quin omnia ad eundem ſcopum attingant.

Ad magna autem inteſtina evacuanda praecipuae cuicunque in voto eſt; quod per clyſmata optime perficitur. Solum ad haſce partes appelluntur, unde in adſtrictionibus alvinis crudeliter ſaevientibus commodius praeſcribuntur. Haud nimis frequenter tamen uſurpanda cenſemus, quia et nocent et taedium faciunt. Medicamentum itaque internum potius deſiderandum, quod ventriculo intacto relicto ad inteſtina majora derivetur. Haſce qualitates aloes inſigniter poſſidet, quae, ut experimenta comprobant, ibi praecipue vim ſuam activam detonat, et per ſtimulum effraenatum fluxum haemorrhoidalem promovet. Ex aloe praeterea haud effectus diverſiſſimi naſcuntur, ſeu parva ſeu majore in quantitate adminiſtratur. Unde, per totam Europam, ad alvum movendam nunc temporis uſurpatur.

Sapo vel ſalina ejus operationi multum favent. Pilulae hinc Anderſoni, ſive ex aloe,

extracto

extracto gentiani, et ſale polychreſto, maſſa, quam utiliſſimae et efficaciſſimae inveniuntur.

Alterum remedium, oleum ricini ſic dictum, quam plurimum inter nuperiores merito laudatur. Alvi adſtrictioni ſine purgatione vehementiore efficaciter antevenit, cujus itaque uſum nec atonia ſequitur.

Ad idem producendum, ſulphur nonnunquam adhibetur; propterea quod inteſtinorum majorum actionem ſine ſtimulo excitat; tametſi quantitas adeo larga ut effectus juſti ederentur, quae ad nauſeam creandam aliquando haud aliena ſit, poſtulatur.

3. Sub hoc capite illa remedia quae ad ventriculi tonum corroborandum includuntur, quod in duo iterum diviſum ſeſe tenet. Primo, quaecunque ventriculo ipſi applicata, idem roborando, officiis funguntur. Secundo, quaecunque ſyſtema totum afficiunt.

Primum genus in ſtimulantia et tonica iterum reſolvi poteſt.

De ſtimulantibus, 1. Aromatica quibus alimonia noſtra conditur, flatum atque aciditatem, ventriculi vigorem adaugendo, expellunt, appetitumque reſtaurant. Porro, aërem, qui imbecillibus quam inimiciſſimus evadit, ea fortiter expellunt. Parum aquae menthae

thae pip. vel alia id genus aromata, ructu haud mora levamen afferunt.

2. Salina, ut acida, inter ſtimulantium claſſem quoque numerantur; ex quibus foſſilia laudibus praeſertim efferentur, unde acidum vitriolicum ſub elixiris vitrioli forma, (i. e. acidum aromatizatum) in uſu ſit. An quicquid tamen aromata proſunt, adhuc ſub judice lis eſt. Acidum utcunque parum votis noſtris commodius reſpondet et palato minus ingratum. Acidum muriaticum, quod olim quidem inter multos efficaciſſimum cenſebatur, nunc in neglecto jacet oblitum, et forſitan immerito, ut brevi evincere conabimur. Acetum diſtillatum potentiae plurimum certe indutum eſt. Aqua picis illius inter multos celebratae, aceto vegetabili pro virtutibus ſuis in ea contento debetur. Pix itaque Norweigenſis quam Nova Anglicana plus laudis meretur, quod proemium omnibus qui eam importarent publice praemiſſum eſt, iis legibus, ut ab acido probe fiat purgata. Quod remedium optimum jure invenietur ad ventriculi tonum reſtaurandum, et inter utiliſſima numeretur.

3. Multa neutrorum ad idem exequendum ſaepiſſime dari ſolent, etiamſi omnia ex muriatico

riatico acido formata, reliquis palmam praeripient. Salem marinum fibras muſculares fortiſſime ſtimulare, nos docent cel. Smythii experimenta, quod itidem, uti ad ventriculi leges transferatur, haud abhorreat. Quocirca acidum muriaticum in anorexia commodi ut plurimum promittere videtur. Salis hujuſce quantitas etiam parva ad nauſeam amovendam efficacius prodit. Ad quod caput tinctura Maebii aperitiva ab Hoffmanno notabiliter laudata relatam ſe habeat. Attamen Cullenus noſter celeberrimus, ſalem marinum Hiſpanicum quadruplici aquae quantitate ſolutum, paululo acidi marini ſuperaddito, et iiſdem virtutibus gaudere, et inter ſtomachica primarias partes ſibi vindicare frequentius expertus eſt.

Ad proximam remediorum claſſem nunc occurrendum eſt, ſciz. tonica ſive omnia quotquot ventriculi tonum effectibus diuturnioribus promovere pollent.

1. Amara, et omnia quae iiſdem intime uniuntur, utiliter haud raro tentantur: In quibus autem uſurpandis cautela maxima, ut ſupra monuimus, ſit adhibenda; ne, dum magna copia aſſumuntur, adeo non ad ventriculi vigorem corroborandum, ut, e contra, eundem e toto debilitatum reddunt. Aſtringentia,

aromatica, &c. amarorum actionem multum adjuvare, quibuſcum uniantur, per documenta evincitur. Unde extractum gentiani, cortici Peruviano vel aurantiorum cortici, floribus chamomaeli, &c. conjunctum virtutes multo meliores exequetur. Ad haec radix columbae, quae in officinis nunc temporis invenietur, et faba Jeſuitarum ſive St. Ignatii, quod amarum ſit fortiſſimum, et exinde optimum tonicum redigi queat.

2. In ordine proximo occurrunt chalybeata, quae longum per tempus ad tonum ventriculi reſtaurandum et confirmandum in uſu obtinebant. Haec forſitan optime exhibentur in aquis mineralibus; quippe quod aqua frigida, ut ſtomachus et totum ſyſtema per potentias ſuas corroborentur, contendat.

Postremo, de illis quae totum ſyſtema corroborant, paucula afferam.

1. Exercitium.—Quod ſi certis legibus limitetur, vim corpoream renovare, excretiones patefacere, et appetitum promovere, omnibus notum eſt. Pro libito diverſimode indulgeri poſſint, ſive ambulatio, ſive venatio, et alia id genus. Nonnulli multum utilitatis ab geſtatione variis modis adhibita trahunt; uti

ab

ab equis vectione, quae id commodi poſſidet, quod cum aere frigido connectitur; de quo proxime dicendum.

2. Aer frigidus vaſculorum extremorum actionem promovet perſpirationemque adauget, inter quae et ventriculum, ut antea notavimus, connexus quaedam peculiares exercetur.

3. Potus frigidus etiam, ut ventriculi actionem abſolute perageret, neceſſarium eſt; cujus tamen exceſſus contrariis ſtipatur effectibus.

4. Balneum autem frigidum caeteris exhibitionis modis clarius antecellit; nam vaſorum extremorum cum actiones tum tonum fortiores reddit.

Anorexiæ curatione tandem ad finem perducta, ut pauca de ſymptomatibus ejuſdem ſeparatim removendis eloquamur, nunc reſtat.

Nausea atque *Vomitus*, quae primo occurrunt, remediis generalibus pertractari poſſunt, quod, ſi vehementer graſſantur, opiatis forſitan ſuperari ſolummodo queunt.

Flatus quoque per generalem methodum ſublevantur;

ſublevantur; etiamſi, ut penitus fugentur, quandoque carminativa poſtulant.

De *Cardialgia*, quod quidem ex aciditate exuberante ut plurimum naſcatur, ut abſorbentibus corrigatur obſervandum; ad eundem ſcopum quoque attingunt demulcentia.

Gastrodynia, aromaticis et ſtimulantibus in ventriculum receptis, quae, actionem excitando ſpaſmumque tollendo, vires ſuas exſerunt, praecipue ſuperatur. Antiſpaſmodica, v. g. volatilia alkalina, moſchus, aether, et opium, virtutes ſibi ipſis inſignes vindicare videntur. Spiritus autem vinoſi omnium quae hactenus in auxilium advocata ſunt, efficaciſſimi produnt; qui tamen ex uſu iſtius pleniore malorum cohors oriatur, ex prudentia negatur.

Postremo, Alvus aſtricta, quae ſatis ample ſupra pertracta fuit, nunc in ſilentio praetereunda ſit.

In portum deſtinatum igitur tandem perventum eſt. An tamen proſpere evaſerit, Praeceptoribus meis honoratiſſimis, ut judicent, lubenter ſubmitto; quorum porro benevolentia ex grato corde confretus ſum; quippe quod per viam inſolitam et difficilem iter faciendum eſſet. Valete.

FINIS.